

Sphygmologica breviter delineata / [Johann Oswald Schwan].

Contributors

Schwan, Johann Oswald.
Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tübingen : G. Kerner, 1677.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/u5zqufdg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. U.

SPHYGMOLOGIA

breviter delineata,

QVAM
SUB

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI

LUDOVICI,

Ducis Wirtembergiæ & Teccia, Co-
mitis Mompelgardi, Dynastæ in Hei-
denheim, &c.

RECTORATU MAGNIFICENTISSIMO,
EX

*Permissu & Authoritate Amplissima & Gratiôsæ
Facultatis Medicæ, in Illustri EBERHARDINA,*

PRÆSIDE

DN. GEORG-BALTHASARE METZGERO,
Medicinæ Doct. Prax. Anat. & Botan. Prof. P.

h. t. Facultatis Decano, Præceptore ac Fautore suo
omni observantiæ & honoris cultu æternum
devenerando,

Pro

L I C E N T I A

*Summos honores & Privilegia Doctoralia in Arte Medica consequendi,
Publico examini & censura submittit*

JOHANNES OSWALDUS Schwan /
Uracensis.

IN AVLANOVA

Addiem Octobr.

ANNO ACADEMIÆ JUBILÆO SECUNDO,
M. DC. LXXVII.

Tubingæ, Typis Gregorii Kernerii.

32

STH YG M O L O G I A

REPERIENSIS PRINCIPIS AC DOMINI

LUDOVICUS

Dr. W. H. ...

IN GEORG. BAL. ...

... & ...


L I C E N T I A

JOHANNES ...

IN ...

... Anno ...

... Typographus ...



Verissimè I. *Pancratius Bruno in dogm. medic. gener. p. 3. cap. 4.* si ullibi in Medicina, certè in Sphygmologia occurrit Augiæ stabulum, ad quod repurgandum prolixiori operâ & longiori morâ opus est. Dolendumque vel hoc nomine Artis primum conditorem *Hippocratem* tam parcum in illa excolenda fuisse; nomen quidem pulsus omnium primum prodidisse, artem tamen ipsam reliquisse intactam, non uno in loco *Galenus* testatur, vel quod non calluerit, vel ut fallacem, aut rem parvi momenti, neglexerit, ut cum *Galeno Joh. Gorraeus* suspicatur in *defin. Medic.* contrarius tamen est *Zacutus Lusitanus Medic. princ. historiar. l. 2. historiar. 12. dub. 4.* Quicquid autem de *Coo* sit, posterius tamen ejus in hujus indagatione doctrinæ ita sudarunt, ut vix aliquid in Arte medica majori studiò explicatum sit, eodem *Gorraeo* autore: præcipue verò unus

omnium Galenus , judiciò *Valleriolæ* 3. loc. *comm.* 9. doctrinam hanc amplissimè & doctissimè pertractavit, prolixis de ea voluminibus relictis, an ingeniosè magis an fructuosè, penes alios judicium sit. Sepositis nunc in Arte inutilibus, ea breviter colligam de natura, causis, differentiis & usibus pulsus, quæ in Arte exercenda præprimis profutura sunt.

THESIS I.

Dico E. *Pulsus arteriarum distensionem violentam, ob impulsus sanguinis à corde in arteriis factum, ad necessariam sanguinis præcipuè & calidi vitalis in totum corpus distributionem & conservationem, nec non bonæ & malæ valetudinis signum.*

II.

Distensionem vasorum ipsi sensus docent, siue manum in carpum mittamus pulsus exploraturi, siue hunc in vivorum sectione oculis usurpemus. Distensio autem violenta est, per accidens, ob materiæ impulsus, facta; distenduntur enim arteriæ, ut saccus aut utres, quia replentur, non replentur quia distenduntur, ut folles, quod pluribus *Guilh. Harvejus* argumentis confirmat, illustratque experimentis in præm. l. *de motu cordis & sanguinis.*

III.

Subiectum sunt arteriæ; hæ enim receptacula sunt, quæ sub cordis systole expulsus sanguinem recipiunt; hæ canales, quæ in omnes partes deferunt. Tentantur autem hæc distensione & moventur primò quidem arteriæ cordi proximæ,

ximæ, mox tamen etiam reliquæ ab his oriundæ, omnesque pulsant, utut impari gradu; motus enim violentus in fine frigescit, & ad quamlibet arteriarum divisionem imminuitur. Motus tamen in arteriis familiarissimè radiis ad carpum manus extensis ob loci contrectandi & movendorum, hic vasorum aptitudinem ex *Gal. de puls. ad tyron. c. 1. & 4. de differ. puls. c. 2.* aut his quacunque subtractis infortuniò, in tarsi aut summi pedis inter maximum & secundum digitum arteria ex *3. anat. c. ult.* hæc enim post arteriam carpi illustri motu prædita est, *de diff. venar. in sin.* percipitur, non tamen exclusis penitus reliquis, temporum præsertim & frontis ex *loc. supra cit.* sive dextræ, sive sinistrae partis, cum, cæteris paribus, unus ubique impulsus, una distensio fiat: imò venas etiam pulsare secundum *Aristot. & Gal.* motu tamen obscuro & non manifestò, qui in sensus incurrit, nullus dubitat *Casp. Hoffmannus comm. in 6. de us. part. c. 16.*

IV.

Objectum sanguis est, qui singulis partibus non modo in nutrimentum, sed & caloris naturalis conservationem & vivificationem à corde necessario distribuendus venit. A sanguine distendi & repleri arterias, persuadet ipsa ratio, quæ singulis cordis contractionibus ut continuò ad cor redit, ita expelli continuò desiderat, ob usum post dicendum. Sanguinem, comprobatur sensus & *αὐτοψία*; ipsi enim digiti singulis eundem pulsibus ejectum adstruunt, oculi pariter singulis pulsibus ex sectis arteriis, ut ex corde, exilientem vident.

V.

Causa efficiens obscurissima est, hancque solo *Riolanus DEO* & naturæ cognitam credit; alii eam in peculiari facultate pulsifica ipsis arteriis insita cum *Praxagora*, sive secundum *Galenum* & potissimos à corde influente quærunt, quos jam dudum *Casp. Hoffmann. comm. ad Gal. de us. part. & de thorace* explosit; alii cum *Aristotele* à sanguine ebulliente pe-

tunt, quibus *Harvejus* respondet, vel rare facto secundum *Cartesianos*, quibus *Backius l. de corde s. 3.* sese opponit, vel pure distendente cum *Harvaanis*, quibus & ego accedo, alii denique cum *Th. Bartholino* ab utroque, sanguine impellente & facultate dirigente; qui entia præter necessitatem multiplicare videntur; quorsum enim peculiari vi pulsifica opus est, cum arteriæ recipiunt, quod contractis cor ventriculis immittit? Motum hunc & pulsum, in exterioribus præsertim, juvare motus membrorum, & qui vasa sanguinis circumstant, musculorum potest; unde hoc debilitato aut deficiente, quamvis cordis motus non laboret, distributio sanguinis impeditur pulsusque debilis fit, quod in paralyticis non infrequenter videre est.

VI.

Causam finalem & usum jam supra etiam monstravi: nec in re manifesta ulteriori face opus est. Scilicet tam diu vivunt partes, quam diu nutriuntur, calidoque vitali fruuntur: hoc autem utrumque beneficium non nisi à corde haurire singulæ possunt, unde, velut ex horreo, suum singulis demensum communicatur jugique motu hoc per arterias distribuitur. Pariter conservat sanguinem & ignem vitalem ventilat; ut enim vitium capiunt, nîmoveantur aquæ; ita idem sanguini metuendum, si motu hîc destitueretur; ut ignis culinaris sine ventilationis motu deficit facile & suffocatur, motû contra face flamma crescit; pariter ignis noster naturalis hîc servatô motu vigoratur, negatô extinguitur. Addidi denique esse bonæ vel malæ valetudinis signum; nec hoc Artis nostræ *Coryphæis Hippocrate & Gal.* invitis, nec experientia repugnante, nec ratione contradicente. Ita enim ille expressè *l. de alim. circa fin. venarum*, inquit, pulsationes mortis & sanitatis sunt indicia; alter *l. de differentiis puls. c. 1. artem*, scribit, de pulsibus tractamus aliosque docere conamur, ut cognita nobis fiant præsentia & præcognita futura,

quæ agris contingunt; imo in variorum morborum insultibus varia pulsus præfagia prolixè describit *de præfag. puls. & l. inscript. compend. puls.* Experientiam qui in dubium vocat, vel solos animi affectus observet, ut de corporis motu nihil dicam, & in una hora pulsus vel millies mutari deprehendet: nec aliter per rationem fieri potest. Cum enim distantio pulsus arteriarum sit, fiatque à sanguinis ex corde protrusiva violenta irruptione, qui non debet hic pro majori vel minori impetu diversimodè mutari & alterari.

VII.

Cui autem morborum generi pulsus præprimis applicari possit, dubium inter *Dd.* est. Secundum dicta in corde ego affectus aliosq; qui sanguinis ex hoc motum impediunt, inclino, quos inter febres numero. Nec tamen in his præfertim malignis tutò semper fidere possumus; cum pulsu subinde bonò, urinâ bonâ, æger moriatur. Non ergò huic soli aut unicè, sed cæteris conspirantibus fidendum. Subinde etiam vitium non in corde, sed in arteriis delitescit tantum, quod *Antipatro* apud *Galenum* de loc. affect. accidit, corde in consensum vocatò.

VIII.

Alteratio hæc secundùm causas & accidentia varia varias inter *Dd.* differentias pulsuum simplices & compositas variasque præfagia peperit, quorum meminisse in genere satis nunc est, cum hinc inde apud *Institutionistas* obvia sint; vereor tamen ne plura de his dicantur, quam opere demonstrantur; summi vir-judicii *I. Bapt. Montanus* primas pulsus differentias non rectè cognosci, multosq; profiteri, id quod nesciunt, constanter asserit; quid ergò de secundis, de compositis, sperandum? audi *Albert. Kyperum* in *Inst. l. 3. c. 5.* inter omnes has, inquit, pulsuum differentias multæ impossibiles, multæ quæ notari nequeunt: non malè igitur *Montanus* ad minutias illas & tantùm non innumeras pulsuum differentias redegit vide-

tur, quas nosse in Arte sufficere putat, & sex solum classes constituit apud ipsum & *Mæbium in Inst. l. 3. p. 1. s. 4. c. 1.* propositas, cujus à parte ipse etiam *Mæbius* stat, addit tamen *εὐρυθμον καὶ ἀρυθμον*, item ordinatum & inordinatum; imò comperit, inquit *Cass. Hoffmannus*, insignes Practicos aliquot contentos fuisse in omnibus morbis triplici differentia, magnitudinis & parvitate, velocitate & tarditate, æqualitate & inæqualitate *l. 2. de thor. c. 20.* sed hæc adduxisse sufficiat, usque dum aliquando plura certioraque praxis ipsa suggerat.

IX.

Cætera, quæ ad pulsum explorandum pertinent, & ex ægri & Medici parte difficultatem aut remoram rectè iudicandi injiciunt, videantur collecta apud *Sennertum & Mæbium in Institutionibus*, nec non *Zacutum Lusitanum l. c.*

Temporis enim angustia finem mihi
imperat.

